

Ernst Johann Friedrich Mantzel

**Programma, Qvo Rector Academiæ Rostochiensis, Ern. Joh. Frid. Mantzel, J.U.D.  
& Phil. Doct. ... Exhibens Iconologiam Passionalem, Ad Profectionem  
Hierosolymitanam, (Uti Non Ita Pridem Ad Bethlehemiticam) Ibidemqve Visendum  
Salvatorem Nostrum Jesum Chistum, ... Cives Academicos ... invitat ...**

Rostochii: Typis Io. Iac. Adlei, [1730?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100400480X>

Druck    Freier  Zugang





T. 512.

1730. Fasken.

M-1258. 206.

17. Oct. 1730.

PROGRAMMA,  
QVO  
RECTOR ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,  
**ERN. JOH. FRID. MANTZEL,**  
J. U. & Phil. Doct. ac Moral. Prof. Ord.  
EXHIBENS  
**ICONOLOGIAM PAS-  
SIONALEM,**  
**AD PROFECTIONEM HIEROSO-  
LIMITANAM,**

(UTI NON ITA PRIDEM AD BETHLEHEMITICAM)  
IBIDEMQUE VISENDUM SALVATOREM NOSTRUM

**JESUM CHRISTUM**

Ut peccata Mundi lueret,

In pegmate funestissimo patientem,

Et nobis Evangelistarum penicillo grapho  
ante oculos mentis constitutum,



**CIVES ACADEMICOS ROSETI**

**NOSTRI**

**HONORATISSIMOS**

Officiosissime invitatis,

Atque præcipue hac, & futuris hebdomadibus

Christiano iuctui dicatis,

Invisa DEO BACCHANALIA vivere,

Studiose diss vadet.

**ROSTOCHII,**

Typis IO. IAC. ADLEI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typograph

M. 1256 206



# ASPICE MORTALIS! PRO TE DATUR HOSTIA TALIS.



Axim è memorabilis  
est inscriptio statuæ , Senna-  
cheribo , Assyriorum Regi , si He-  
rodoto fides habenda , decretæ , &  
in perpetuam , rei recordationem  
erectæ : ὅτι εἰμὶ οὐρανὸν ἐντεθῆς ἐσώ ; In  
me intuens pius esto . Historiam hu-  
jus impii Thrasonis ingenti clade & strage octodecim  
& dimidia myriadum sui exercitus , ab Angelo Domi-  
ni affecti , ac à filiis suis detestandum parricidium per-  
pessi , in sacris paginis , fallere nesciis , uberior fusius-  
que descriptam legimus ; uti vero Poetis & Historicis  
ethnicis in more positum est , acta biblica , de quibus  
quasi per nubem ipsis aliquid innotuit , suis pigmentis  
atque figuris pro lubitu transformare , sic etiam  
modo dictus Auctor rerum à Sennacheribo gestarum  
tragis

tragicum exitum specioso commento involvit, tradens: Ipso Ægyptum copiis suis quasi inundante, precibus Sethonis cujusdam, utpote vel Regis vel sacerdotis effectum esse, ut innumera murium multitudo pharetras, clypeos arcusque hujus Assyriaci exercitus corroderet, adeò, ut idem fœdissima fuga sibi consulere coactus sit. In cuius expeditionis tam exitiosæ nunquam intermorituram memoriam in fano Mulciberis erectam fuisse statuam, hieroglyphice murem manu tenentem, cum lemmate jam jam indicato: *In me intuens pius esto.* Faceant fabulæ, meliora ex Scriptura S. edoctus Janus Jac. Boissardus in Theatro vitæ humanæ rei veritatem comto versu in compendio quasi demonstrat:

- - blasphemo provocat ore DEum, (Rabsake)  
Angelus infesto turmas ulciscitur ense,  
Natorumque cadis Sennacheribe manu.

Corruit dudum, si unquam exstitit, hæc statua; Nobis interim non dispiceat apposite excogitatum epigramma: *In me intuens pius esto.* Altioris vero indaginis erit, id ipsum, tanquam aptissime & longe potiore Jure in Salvatorem nostrum dulcissimum quadrans, imagini ejusdem adscribere. Celebratur effigies Dominum, ut ferunt, verè repræsentans à Luca vel Evangelista, vel Medico, aut forte alio, summa accuratione expressa, qua nihil pictius esse dicitur, quam ut exemplar summe venerabilis archetypi Roma sibi vendicat, quod defendendum Carolo Stengelio, Jesuitæ de vera effigie JESu Christi scribenti, vel Josepho Marie Sorefino Presbytero Romano de imagine sanctissimi Servatoris in basilica sancta Apostolorum Petri & Pauli Lateranensi custodita, commentanti, committimus. O-

A 2

sten-

stendunt passim sudarium Veronicæ Christo sub crucis onere fatigato oblatum, cuī is sanctissimam suam faciem impressisse perhibetur, quæ uti vera icon, sed tamen ubique sibi non constans, forte sanctulæ imaginariæ nomen fecit. Admirantur nimium creduli εκ τοφεύγισμα Redemptoris nostri, ab ipso linteo inditum, de quo tradunt: Pictorem Edeſſenum à Rege Abgaro missum, oculis fulgore summe venerandæ faciei Dominicæ præstrictis, à cœpto pingendi destitisse, eamque Abgaro donatam, ac postmodum Constantinopolin translatam esse, de quo sibi mirè gratulantur; Quod tamen commentum jam pridem nostri Theologi, inter quos est noster Dorscheus, plus satis exploserunt. In maxima existimatione est istiusmodi fabellarum amantissimis vultus Christi in sindone ac peplis sepulchralibus residuus, quem saltem quatuor locis venerantur. Per placet Legendæ aureæ (plumbeæ potius) pseud-Athanasiæ, historiolas magni facientibus, relatio de figura Christi cælato opere, non divini, ut Poeta canit, Alcimedontis, sed Nicodemi, nocturni hospitis manu sculpta; Cui tamen, & aliis ejusmodi Fechtius noster, vah quantum nomen, in Noctibus suis Christianis, omnem fidem derogat. Addat, qui volet, Jo. Calvini Brod-Korb der heiligen Römischen Reliquien. Ostendant & ostentent alii passim pro veris Charactribus faciei Dominicæ simplicibus commendatas effigies, quas longo ordine à celebratissimo Critico Jo. Reiskio recensitas & examinatas accepimus; Nobis vero non adeò obtusa pectora gestantur, ut ipsas pro authenticis & legitimis agnoscamus; Sed fac, & esto, has imagines, tanquam fragmenta antiquitatis verè tales esse, quales laudantur, ut ut laboret annalium.

um fides; tamen si copia istas videndi daretur, hic tantum fructus inde redundaret, ut omni religioso, vel idololatrico potius, cultu remoto, ne instar serpentis ænei in deastrum abeant, dictam epigraphen  
*In me intuens pius esto, reminiscentes, incitamentum pietatis inde caperemus.* Par ratio hodieque innumeris chiliadum myriadibus ubivis obviarum, quas sculptas, pictas, fusas, cælatas, acupictas, in nummis signatas, cereas, telis intextas, vitris inustas, vel alias affabre factas cernimus, iconum Redemptoris nostri, maxime ejusdem in cruce pendentis. Attamen semper in mente hæreat dictum lemma, licet non additum. Interim non moramur aniles & ad colos relegandas fabulas de effigie Salvatoris, loquente, peccata condonante, vulnerata & sanguinem profundente, se ulciscente, aures suas obturante, virginis cuiusdam lachrumas suscipiente, quas, & cæteras ejusdem furfuris, ab *Hier. Rauschero* peculiari opera exsibilatas, me aliquando vidisse, ni memoria quoad Rauscheri nomen fallit, quod mihi æquus condonabit censor, recordor.

Cæterum abominamur Iconoclastarum, ut Carolstadii aliorumque intempestivum furorem, talia μνημαι Iconum nobis invidentium, & à templis dominibusque arcentium, cum ista medio tutissimi eentes, ad doctrinæ traditionem, nec non ad memoriæ subsidium, cæteris paribus, citra jacturam conscientiæ, pro varietate historiarum, tanquam jucunda & tristia, non vero idola, asservare queamus.

Verum enim vero qvorsum abripior? Quid immoror istis quæ ante oculos corporis obversantur? Admiremur potius lineas, Apellis artem longe superantes, ab Apostolo (Gal. III. 1.) *Spiritu Sancto penicillum dirigent*

rigente, ductas, & ab Evangelistis præsertim in Historia truculentissimæ passionis Domini accurate descriptas, qvas pia mente ac sincera fide contemplari datur. En tabulam in pluteo. In Technophylaciis Magnatum naturæ artisque præstantia opera, eadem videnti cupidis, inter alia monstrari solent pictorum & sculptorum artificia. Quid si cum græcis Job. XII, 21. IESum videre averemus, in patens conclave iconographicum scripturæ sacræ intromitteremur ; Benigna vox est : Venite & videte. Non est ut ipsum videnti studio cum Zachæo sycomorum descendamus; Ecce hic (in effigie) rupem ex quo excisi, & os putei, unde effossi sumus : Iesaias pinxit. Pedem promoventes oculis usurpate antitypum serpentis ænei : Christus ipse artifex effinxit. Lustrate agnum, tollentem peccatum mundi, Johannes Baptista auctor est. Aspice bonum pastorem. Ipsius pastoris opus est. Cernite verbum hypostaticum in gloria Taboritica : Schema est Evangelistarum, Johannes ex ipsorum numero sculpsit in tabula ære perenniore Cap. I, 14.. Intueamini suspicioendo Autorem & finem fidei : Paulus adumbravit. Eja, videte sanctissimorum Magistrorum longo ordine dispositas artis ingeniosæ tabulas, graphen historiarum Salvatoris ad vivum, ut ajunt, commonstrantes. Ut vero in ipsam rem quasi præsentem ducamur, ac historiam historiarum, uti pii Majores actus passionis Christi Mediatoris nostri nuncupaverunt, à sanctis DEI viris, optimis in hac arte Magistris, vivis coloribus depictam, accuratius contemplemur : Supereft, ut ad erectum pegma properemus, Gethsemanense scilicet Praetorium & Golgothaem. Recolitis dubio procul vobiscum, O. O. Cives Honoratissimi, vos ante bimestre spati-

spatiū à me in Genethliis infantis DEI Hominis ad  
 iter Bethlehemiticum invitatos esse; Bene cessit ipso an-  
 nuente propositum. Sine ullo dispendio, fastidio & pe-  
 riculo idem absolvimus. Oculos animi aspectu jucun-  
 diffissimo pavimus. Iteremus sanctissimo studio profe-  
 tionem Hyerosolymitanam, eamus ad ejusdem soci-  
 etatem acciti. Regina Austri, Salomonem videndi  
 desiderio accensa, e regione alio sole calente eodem per-  
 rexit. Magos orientales, potiorem Salomonem visen-  
 di studio ardentes, elonginquo istorum allectos sci-  
 mus. Quid impedit, qvin & nos, et si domi commo-  
 rantes, passibus rapidis illuc feramur? Sursum cor-  
 da! hodegi praeuntis hodierna vox est: Ecce, ascen-  
 dimus Hierosolymas! Eamus Thoma hortante, ut  
 cum ipso moriamur. Pergamus ad montem myrræ  
 & collem thuris. Confluite. adeste animis, panditur  
 theatrum iconographicum; sed acerbum ac fleibile fisti-  
 tur spectaculum cuius tessera est: ECCE HOMO. Of-  
 ferent se nostro obtutui schemata qvinqve luctuosissi-  
 morum actuum summe venerandæ passionis sospitato-  
 ris nostri, cum ejusdem proogrammate: *In me intuens  
 pius esto.* Hos cana antiquitas brevi mnemonicō ver-  
 sa expressit: *Hortus, Pontifices, Pilatus, Cruxque, Sepul-  
 cbrum.* Ecce in primo & qvidem Gethsemanensi peg-  
 mate, *JESum contristatum, humili stratum, cruentatum, cap-  
 privatum.* Non obiter aspiciendus erit intimum anxii  
 cordis mærorem prodens miserandus orantis Salvato-  
 ris, ut coccinei vermiculi, in terra volutati, Ange-  
 lique corroborantis indigi, vultus. Neqve per transen-  
 nam intueamur thrombos & concreti sanguinis grumos,  
 in terribili animæ ipsius agone, e corpore, frigido hor-  
 rore membra qvatiente, expressos, & decidendo hu-  
 mum

mum largo flumine humectantes. En scelestiprodi-  
toris osculum nefarium, ut neqvitiae symbolum, quo  
ductus nebulonum manipulus innocentem DEI agnum  
truculentissime abripuit. In sequenti tabula offendem-  
mus JEsum in Prætorio synedrii accusatum, *conspurca-  
tum, obvelatum, verberatum, condemnatum, vi ligatum.* Li-  
bycæ leænæ, aut tigridis feritatem induisse eundem  
putarem, qui hæc nisi tremebundus conspiceret. Vi-  
dendum se præbebit, contra qvem ut blasphemum &  
seditionis criminisqve læsæ Majestatis imo perduellio-  
nis insimulatum, accusatio instituta, adhibitis menda-  
cissimis blateronibus falsum testimonium deponenti-  
bus, ut fumum venderent & Thersites fuso niteret.  
En! forma inter hominum filios speciosissimus, imo  
ipsa munditia, sputi & muci turpitudine foedatur, adeò  
ut oculi conspectum miserabilem horreant. Sol justi-  
tiæ, omnes & omnia illuminans, spurcissimo velami-  
ne obnuptus, eclipsin patitur; Ferreo sceptro inimicos  
fuos qvatiens, vah! alapas colaphosque, sic ut deinde  
cannæ verbera, misellus sceptrifer patiens excipit. Iu-  
dicis Israelis maxillæ hostiliter feriuntur, Princeps vi-  
tae vita indignus censetur; Liberator funibus constrain-  
gitur; Sed alia scena adaperietur: Ecce JEsum in au-  
la Herodis & Pilati prætorio, ibi subsannatum & candi-  
datum, hic purpuratum (sic enim Amicum nostrum, et si  
id non intendentis, candidum & rubicundum stiterunt)  
coronatum, flagellatum. In conspectum nostrum venient  
scurræ sannis posticis Dominum illudentes; Detestandum  
sane spectaculum! Sic ipsa sapientia in terris ut  
φιλάθρωπος ludens, sceleratè & injuriose per lusum & jo-  
cum tractata. Sic Rex Regum, non diadematè lemni-  
scato vel adamante multo fulgente ornatus, sed coro-  
na

na spinea , cuspidibus sanctissimum caput pungentibus dedecoratus , regali sceptro in scirpeum mutato . Egressiamini proinde , ad videndum Regem Salomonem in corona . Adeste visum effigiem inter miserrimos miserrimi . Sed quid de flagellatione ? Attoniti stabimus , mirabimurque , unquam artificis manum hanc historiam , qvin opus imperfectum permanserit , effingere valuisse . Qvis Dominum dominantium nudum columnæ , ut plurimorum sententia fert , alligatum ; Qvis admotas Romano more virgas , vel , uti aliis placet , scuticas , cum flagris plumbatis & scorpis : Qvis rabidos milites furioso nisu ac magna vi brachia tollentes : Qvis vibices in corpore Dei - Hominis : Qvis sanguinem intermanantem , capillosque cruore concretos , accurate sine animi stupore intueri , nedum in imagine proponere , quiret ? Abhorret natura , trement artus & animus deliquium patitur . Lege Divina cautum erat , ut flagriones Judæi pluribus quam quadraginta ictibus non cæderentur , hinc flagellis trifidis tredecies verberabantur , una minorum plagarum intermissa , de qua poena ab iisdem quater tolerata , Paulus admodum gloriatur . Sed quis numerum ictuum Christo infiectorum inibit ; Hinc ipse Pilatus hujus sic lacerati Servatoris miseratus , eundem populo frenimenti & ringenti videndum ostendit , addito epiphonemate : ECCE HOMO ! At plus ultra : Pergendum est ad aliud pulpitum , scilicet Golgothæum . Ecce JESUM cruci dætum , ac in ea vulneratum , atque fœde trucidatum . Ad rabiemfurentis plebis ad rugitus , mugitus & latratus Pilatus tandem decernit , ut innocentissimum ac nullius doli reum cruci , utpote contumeliosissimo supplicio addiceret , edita sententia : I lictor , summove , de-

B

spolia

*spolia (expedi virgas, jam præcesserat) colliga manus,*  
*caput obnubito, arbore infelici suspendito.* Hinc sese no-  
 bis offeret sanctissimus DEI Filius, crucem suam mo-  
 re furciferorum gestans, sub eaque fatiscens. Hinc  
 apparebit porrò eidem affixi manibus pedibusque  
 transfoſſis, imo latere aperto, in medio latronum  
 pendentis, tristissima imago. Hanc luſtrantes in me-  
 moriam revocabimus flexanimam Livianam Horatii  
 senioris, pro filio, patriæ liberatore, suspendendo, ora-  
 tionem : *Huncine, quem modo decoratum ovantemque vi-*  
*ctoria incidentem vidistis, Quirites, eum sub furca vincitum*  
*inter verbera & cruciatus videre potestis? Quod vix Albano-*  
*rum oculi tam deforme ſpectaculum ferre poſſent. I lictor, col-*  
*liga manus, quæ paulo ante armatae Populo Romano imperi-*  
*um pepererunt. I, caput obnube Liberatoris urbis hujus, Ar-*  
*bore infelici ſuspende, verbera vel intra pomoerium, modo in-*  
*ter illa pila & spolia hostium, vel extra pomoerium, modo intra*  
*ſepulchra Curiatorum.* Hanc optimè, observato com-  
 parationis tertio, in Liberatorem nostrum quadrare  
 censeo. Proh scelus, vae immaniffimæ diritati! Tulliae,  
 carpentum super parentis Romanorum Regis occisi  
 corpus, renitente quadriga, agitantis, feritas. Percus-  
 forum Julium Cæſarem interimentum truculentiffi-  
 sum facinus. Neronis in matrem commissa tyrannis,  
 & si quæ alia effrenatae malitiæ exempla annalium pagi-  
 nas complent. Sed quid ipſis indignamur, eosque fo-  
 los culpamus, nostri immemores; Et nos ipsum affliximus.  
 Peccata singulorum, vincula, flagra, spinæ, elavi  
 fuit, quibus ipſe vincitus, cæſus, punctus & crucifixus  
 est. Nec tandem deerit in Theatro Golgothæ tam lu-  
 gubri tristissima imago Christi in crucis ara demortui,  
 inque ſepulchrum delati, cum inscriptione : *Ecce JЕſum*  
*tumula-*

*tumulatum.* Sic stupebimus DEI-Filium, vitam nostram mortuam, videbimus caput sanctissimum in humerum inclinatum, lumina clausa, genas docolores, totum corpus flacidum, hiulca vulnera lento cruento rubentia. Occupabit animos horrors sub aspectum tam miserabilem. Interim mirabimur Nicodemi & Josephi, vespillonum & pollinctorum, hoc charissimum & divinissimum corpus in tumbam inferentium laudabilem solertiam. Nec minus gaudebimus peccata nostra cum ipso esse consputa, & sepulchra Christianorum per ipsius humatione consecrata.

Hac sunt HONORATISSIMI ACADEMIÆ NOSTRÆ CONSORTES, qvibus vos volui, ad profectiōnem Hierosolymitanam hac hebbomade & per instans quadragesimale tempus rite suscipiendum invitans atque continuationem pia meditationis sacratissimæ passionis dominicæ sedulo commendans. Cæterum officii ratio postulat, ut, quemadmodum hoc ipso sabbatho quotannis mos est, brevem parænesin addam, quo his probe pensitatis, sobrietati opera detur, & in primis ad Coronam nostram, Florem Academicum, & spem patriæ cuiusvis, hæc mea præsens dirigitur scriptio, ne, ut titulus habet, DEO invisa Bachanalia vivant. Indigna sunt illa homini Christiano, Gentilismum sapientiunt. Quid fibi vellet dolente capite luxuriari! Romæ a Romanis, licet ethnicis, abolita, & ab ipsis Scythis improbata (*vid. Camerar. Hor. subcis. L. I, c. 58.*) jam pridem fuit turpis consuetudo sic Baccho litandi: Quidni Christo addictos deceret fœdissimo & summe detestabili imo diabolico comedendi vitio nuncium remittere, maxime cum Spiritus S. helluones & ingluviei vacantes cœlesti regno arceat. Quæ hujus asotia gloria? Decus.

decus. Qualis fructus? dispendium sanitatis. Qvantæ commoda? Conscientiæ cauteriatæ stigmata. Expectamini vos Theologiæ studiosi, ut suo tempore Doctores acromaticæ cathedræ, Præcones ecclesiarum, phosphori Scholarum. Expectant vos Astræ cultores Magnatum Collegia, Dicasteriorum sellæ curules, Academiarum suprema subsellia, aliorumque officiorum decora. Expectant vos Avicennæ Filios, quodrigis ferendos, Aulæ, Urbes, Provinciæ, ut oracula sanitatis, cuius ingurgitari hostis est. Expectant Vos veræ philosophiæ deditos, Scholarum Regiarum Gymnasiorumque pulpi- ta. Inglorium & infra vestrām futuram dignitatem es- set, olim culpæ præteriorum argui. Attendite potius nobiscum amicæ voci de cruce nobis perorantis Salvato- ris: *In me intuens pius esto. Aspice qui transis, quia tu mihi causa doloris. Aspice Mortalis, pro te datur hostia talis. Pla- cet coronidis loco ex Laetantii Carmine de Passione Domini, ipsum sic nobis loqventem sistere.*

*Quis quis ades, mediique subis in limina templi.  
Siste parum, insontemque, tuo crimine passum  
Respice me, me conde animo, me in pectore serva.  
Hic data lux terris, hic alma salutis imago.  
Hic tibi sum requies, via recta, redemptio vera.  
Vexillum DEI, signum & memorabile fari.*

### P. P. SUB SIGILLO RECTORATUS

ipsa Dominica Quinquagesima, die 19 Febr.  
Anni Christiani MDCCXXX







Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn100400480X/phys\\_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100400480X/phys_0016)



tumulatum. Sic stupebimus DEI-Filium, vita mortuam, videbimus caput sanctissimum inclinatum, lumina clausa, genas docolores, pus flaccidum, hiulca vulnera lento cruento. Occupabit animos horrors sub aspectum tam Interim mirabimur Nicodemi & Josephi, & pollinctorum, hoc charissimum & divinissimum in tumbam inferentium laudabilem soleminus gaudebimus peccata nostra cum ipso pulta, & sepulchra Christianorum per ipsius ne consecrata.

Hac sunt HONORATISSIMI ACADESTRÆ CONSORTES, qvibus vos volui, a onem Hierosolymitanam hac hebdomade & quadragesimale tempus rite suscipiendum in que continuatione impiae meditationis sacrificationis dominicæ sedulo commendans. Cæteratio postulat, ut, quemadmodum hoc ipsum annis mos est, brevem parænesin addatur probe pensitatis, sobrietati opera detur, ad Coronam nostram, Florem Academicum patriæ cuiusvis, hæc mea præsens dirigitur, ut titulus habet, DEO invisa Bachanalia digna sunt illa homini Christiano, Gentilium. Quid sibi vellet dolente capite luxuria a Romanis, licet ethnicis, abolita, & ab ipsius improbata (vid. Camerar. Hor. subcis. L. I, c. 58) dem fuit turpis consuetudo sic Baccho litando Christo addictos deceret fœdissimo & summi imo diabolico comedandi vitio nuncium maxime cum Spiritus S. helluones & ingluviates cœlesti regno arceat. Quæ hujus asotiaæ g

B 2




Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 011  
Patch Reference numbers on left

the scale towards document